

bet unde ipse genera et species concipere ac dividere queat. Quippe res hujus mundi adspectabilis unitate simul ac varietate præditæ sunt; aliarum enim eadem, aliarum verò dissimilis est natura. Hoc porrò satis est ut ratio, abstractione et comparatione utens, res mundanas in certa genera partiat, pro naturâ earum vel diversâ, vel communi. (Cf. S. Th., 1^a, q. 85, a. 2, ad 2, et *Opusc. de ente et essentiâ*, c. 6).

ANTHROPOLOGIÆ ALTERA PARS

DE

NATURA HOMINIS

198. *Objectum hujusce partis.* In primâ parte Anthropologiæ exploravimus operationes potentiasque hominis, quia nobis primùm occurrunt. Sed ex operationibus ac potentiis entis, ad ejus naturam ascendere licet. Quocirca restat ut impræsentiarum de hominis naturâ sermonem habeamus.

Porrò circa hominis naturam dupliciter a philosophis erratum est, cùm alii, nempe materialistæ, illum nonnisi animal perfectius esse decernerent; alii contrâ, scilicet spiritualistæ nimii, essentiam ejus in animâ solâ repositam arbitrarentur.

Ast autem utrique a vero exulant, quippe hominis natura nec in corpore, nec in animâ tantùm concluditur, sed est substantialis *mixtura* quædam animæ et corporis, ut constat ex sensû communis ac sermonis hominum testimonio. Omnes enim non dicunt corpus esse *hominem*, sed *hominis*, nec animam *hominem*, sed *hominis* animam vocant; hominem vero habent quod ex utriusque complexu constat.

Unde Aquinas noster: « Ex corpore et animâ dicitur esse « homo, sicut ex duabus rebus tertia res constituta, quæ « neutra illarum est. » (*De ente et essentiâ*, c. 3).

199. *Divisio quæstionum.* Ad naturam hominis adæquatè investigandam, seorsùm disputare oporteret de corpore, de animâ, et de utriusque composito; quia verò scientia de

corpore potius ad *Physiologiam* refertur, ab eâ interim abstinemus (1).

Itaque nobis incumbit ut dicamus 1° de unione animæ et corporis; 2° de animâ seorsum inspectâ. Prius loquimur de unione animæ cum corpore, propterea quòd quæ attinent ad naturam, originem finemque animæ, ex naturâ unionis ejus cum corpore aut pendent, aut manifestius declarantur.

SECTIO PRIMA

De unione animæ cum corpore.

Ad mirabilem hanc unionem declarandam dicemus 1° quænam sit ejus natura, nempe utrùm sit substantialis, an merè accidentalis? 2° Quomodo explicari possit? 3° Quænam sint ejus consectaria?

CAPUT I

DE NATURA UNIONIS INTER ANIMAM ET CORPUS (1)

1° Exponendæ sunt variæ philosophorum sententiæ; 2° vera declaranda; 3° falsæ refellendæ.

ARTICULUS I

Exponuntur variæ philosophorum sententiæ de naturâ unionis animæ cum corpore.

200. I. *Systema unionis accidentalis*. Philosophi quidam, nempe spiritualistæ *nimii*, putant hominem consistere in

(1) Cf. *La Tête et le Cœur*, 1^{re} part., *Physiologie du cerveau et du cœur*.

(1) Cf. *Liberatore, Le composé humain*, c. 1 et 7.

animâ, quæ in corpore tantum *habitat* eique nonnisi per accidens copulatur.

Porrò unio *accidentalis* definiri potest *ea vi cujus duæ vel plures substantiæ completæ ita conjunguntur, ut servent esse et operari proprium et completum, quin ex earum conjunctione nova exurgat essentia*. 1° Unio illa viget inter plures substantias non tantum distinctas, sed etiam per se completas, quæ proinde possunt seorsum existere priusquam uniantur, necnon postquam separatæ fuerint; nam habent esse et operari proprium sibi que sufficiens. — Nihilominus aliæ in alias influere possunt et sese mutuò adjuvare. — 2° Hinc sequitur eas ad invicem *naturâ* ordinatas non esse; et quia per accidens sociantur, ex suâ unione totum aliquod efficiunt non propriè aut *substantialiter unum*, sed per accidens duntaxat; qualis est v. g. exercitus, vel acervus lapidum.

Porrò philosophi plures putaverunt animam et corpus nonnisi per accidens copulari: ita Plato, Cartesius, Kantius et Rosminius.

Plato, post Pythagoram, censuit animas primùm egisse cœlestem vitam quamdam, in quâ nulli corpori adhærebant; at luendi criminis causâ in corpora detrusas fuisse. Anima igitur ad corpus non naturâ ordinatur, sed ei unitur ut *motor* mobili, et eo *utilitur* ut *herus* servo, *artifex* instrumento, *musicus* lyrâ (Cf. *Alcibiade*).

Cartesio docente, hominis essentia in solâ cogitatione consistit; atqui cogitatio ad solam animam refertur. Ergo ex animâ solâ componitur essentia et persona hominis. — Cartesio Malebranchius pluresque recentes adhæserunt.

Kantius ulteriùs progressus est; quippe qui voluit *to ego* sive personam humanam, ne in animâ quidem consistere, sed in solâ cogitationum suarum conscientia.

At Cartesium et Kantium componere tentavit Rosminius; juxta quem, *to ego* sive persona hominis non est anima sola, neque conscientia sola, sed anima prout sui conscia.

Si maturiùs attendatur, concludere licebit ex iis opinionibus duplex esse in homine *suppositum* duplicemque *naturam*. Quum enim, ex unâ parte, homo sit anima, ipsa sola consti-

tuit personam humanam; et quum, ex alterâ parte, corpori insit *esse et operari proprium*, ipsum habet jam quæcumque ad suppositum pertinent. Insuper, duplex etiam agnosci debet natura in homine, siquidem sive corpus, sive anima supponitur esse principium proprium et adæquatum operationum.

201. II. *Systema unionis substantialis*. S. Thomas, SS. PP. et scholastici omnes, aristotelicam sententiam amplexati sunt, quæ hominem ponit in *composito substantiali* animæ et corporis; ex quâ substantiali unionem, resultat natura una, persona una, ex animâ et corpore coalescens.

Jam unio substantialis duplex distinguitur, alia *personalis*, et *essentialis* alia. Prior obtinet cum *plures essentialis unitæ conservant in unione proprias naturas específicas, sed unum subsistens constituunt*; sic in unâ eademque personâ Verbi divina et humana natura sunt sociatæ. — Posterior, scilicet unio essentialis, vel essentialis, *ea est vi cujus duæ substantiæ incompletæ ita conjunguntur, ut unum esse et operari habeant, et non solum personam unam, sed et naturam unam perficiant*. Quocirca 1^o entia ita conjuncta sunt potius duo principia incompleta unius substantiæ, quàm duæ substantiæ; unde non possunt seorsum existere priusquam uniantur; et post separationem suam, vel utrumque esse desinit, uti fit v. g. de animâ et corpore belluarum per mortem; vel alterum perseverat, si possit proprias quasdam operationes exercere, qualis est anima humana, a corpore suo per mortem separata. Ratio est quia nullum ex his entibus habet *esse et operari proprium*; vel saltem alterum seorsum ab altero nullo modo potest operari, dum alterum quasdam habet operationes proprias, etsi minùs completas.

2^o Ex eo sequitur duo illa entia non casu aut per accidens conjungi, sed ipsâ naturâ; quippe alterum ad alterum ordinatur, et alterum ab altero completur.

ARTICULUS II

Declaratur vera sententia circa naturam unionis inter animam et corpus (1).

202. **Assertio** : *In homine est natura una et persona una, ex substantiali conjunctione animæ et corporis composita.*

PROB. 1^a PARS. — Natura definitur *principium primum omnis activitatis in ente*. Sed *operari sequitur esse*, scilicet operatio alicujus rei sequitur ipsius essentialiam, cum ab ipsâ profluat. Ergo quorum diversa est natura, diversa est operatio, et quorum communis est operatio, communis est natura (2). Atqui animæ et corpori communes sunt plures operationes, scilicet operationes vegetativæ, sensationes, motus appetitûs sensitivi et motus locales, ut probavimus in 1^a parte Anthropologiæ (n. 36, 41, 130, 170).

Confirmatur, quia ex probatis, operationes ipsæ intellectuales non exercentur sine aliquo adminiculo corporis, cum intellectus intelligere nequeat quin utatur imaginibus phantasiâ sibi exhibitis. Itaque ex corpore et animâ simul absolvitur natura hominis, ac proinde, « cum ex animâ et corpore fiat « unum, neque corpus, neque anima *natura* dici potest, quia « neutrum habet speciem completam, sed utrumque est pars « unius naturæ ». (*Cont. Gent.*, l. IV, c. 33).

(1) Cf. *Le Kantisme et le Positivisme*, c. 2 : *Le Moi*.

(2) Clarè S. Thomas : « Impossible est quòd eorum quæ sunt diversa « secundum esse, sit operatio una. Dico autem operationem unam non ex « parte ejus in quod *terminatur* actio, sed secundum quòd *egreditur* ab « agente. Multi enim trahentes navim, unam actionem faciunt ex parte « operati, quod est unum, sed ex parte trahentium sunt multæ actiones, « quia sunt diversi impulsus ad trahendum. Cum enim actio consequatur « formam et virtutem, oportet quòd quorum sunt diversæ formæ et vir- « tutes, et operationes esse diversas. — Quamvis autem animæ sit aliqua « operatio propria, in quâ non communicat corpus, sicut intelligere, sunt « tamen aliquæ operationes communes sibi et corpori, ut timere, et irasci, « et sentire, et hujusmodi; hæc enim accidunt secundum aliquam trans- « mutationem alicujus determinatæ partis corporis, ex quo patet quòd « simul sunt animæ et corporis operationes. Oportet igitur ex animâ et « corpore *unum* fieri, et quòd non sint secundum esse diversa. » (*Cont. Gent.*, l. II, c. 57).

PROB. 2^a PARS. — 1^o *Ratione*. Persona est *substantia completa et rationalis*. Ab eâ *diriguntur* variæ entis rationalis operationes; quæ a naturâ *secernitur*, quatenus ultimum ei addit complementum, *in eâque et per eam agit*. Unde sic argumentari licet :

Persona est *substantia completa, principium simul ac centrum* omnium operationum entis. Porrò neque corpus, neque anima hominis est *substantia completa aut principium agendi completum*. Enimvero corpus non tantum impar est ad cogitationem et volitionem, quin etiam, ut infra uberius ostendatur, ab animâ vitam, sensum omnem et motum recipit. — Anima autem, quamvis ex seipsâ cogitare et velle queat, tamen per se solam operationes vitæ vegetativæ, sensationes ac motus locales exercere non valet; suo enim loco probavimus hasce operationes, quæ sanè humanæ dicendæ sunt, non ad animam solam, sed ad animam et corpus æquo jure pertinere; quare corpus et anima in unam substantiam completam coalescunt et ideo suâ unione personam humanam formant.

2^o *Sensu hominum communi et loquendi consuetudine*; homines quippe omnes operationes et affectiones quas sive in animâ, sive in corpore experiuntur, uni eidemque centro attributionis referunt. Non enim dicunt : corpus meum ambulat, siti, fame vel morbo laborat; nec dicunt : anima mea intelligit, vult, imperat, aliave id genus; sed : *ego* deambulo, laboro, intelligo, volo... Atqui harum actionum aliæ ab animâ solâ, aliæ a corpore quoque perficiuntur. Ergo personam hominis ex animâ simul et corpore compositam esse putant.

3^o *Conscientiæ testimonio*. Nam quisque sentit seipsum *eundem* esse qui ambulat, patitur emotiones gratas aut ingratas, intelligit et vult. Ergo jure dicit S. Thomas : « Ex animâ et corpore constituitur in unoquoque nostrum duplex unitas, naturæ et personæ. » (3^a, q. 2, a. 1, ad 2) (1).

(1) In Epistolâ Ill^{mi} Czacki, de mandato SS. Pontif. Pii IX ad rectorem Universitatis Insulensis scriptâ, declaratur spectare ad doctrinam theolo-

Confirmatur quia *substantialis illa animæ et corporis conjunctio cedit in complementum totius universitatis rerum*, ut animadvertit Bossuetius (1).

203. *Obj.* Corpus est *instrumentum animæ*. Ergo persona humana animâ propriè constituitur.

R. Dist. ant., et neg. cons. Corpus est *instrumentum animæ*, et ei *substantialiter unitum, conc.*; *merum instrumentum, neg.*

Sanè quidem corpus, cum inferius sit quam anima, ad ei famulandum destinatur; quare erga ipsam quodammodo vices instrumenti gerit. At multum abest quin sit *merum instrumentum animæ* (2). Nam 1^o instrumentum ab artifice non pendet secundum *esse*, sed tantum secundum *moveri*. — 2^o Quæ afficiunt instrumentum, non afficiunt artificem, et vicissim; quare artifex potest optimè se habere, quamvis frangatur instrumentum, et vicissim. — 3^o Actiones instrumenti non tribuuntur artifice, nec instrumento actiones artificis. — Econtra corpus ab animâ pendet in suo esse : quæcumque ipsum afficiunt, afficiunt quoque animam, et vicissim; demum, operationes corporis ad animam attribuuntur. Quocirca merito cuique dicere licet : *ego* deambulo, doleo, augeo, senesco, aliaque hujusmodi, quanquam omnia ista non animæ, sed corpori accidant.

gicam « *unitatem substantialem humanæ naturæ*, quæ duabus constat substantiis partialibus, corpore namque et animâ. »

(1) « Il était convenable, afin qu'il y eût de toutes sortes d'êtres dans le monde, qu'il s'y trouvât et des corps qui ne fussent unis à aucun esprit, « telles que sont la terre et l'eau et les autres de cette nature; et des esprits, qui, comme Dieu même, ne fussent unis à aucun corps, tels que sont les anges; et aussi des esprits unis à un corps, tels que l'âme raisonnable, à qui, comme à la dernière de toutes les créatures intelligentes, il devait échoir en partage, ou plutôt convenir naturellement de faire un même tout avec le corps qui lui est uni. » (*Conn. de Dieu et de soi-même*, c. III, § 1).

(2) Ita S. Thomas : « Non omne quod assumitur ut instrumentum, « pertinet ad hypostasim assumentis, sicut patet de securi et gladio; nihil tamen prohibet illud quod assumitur ad unitatem hypostasis, se habere ut instrumentum, sicut corpus hominis vel membra ejus. » (3^a, q. 2, a. 6, ad 4; Bossuet, *Conn. de Dieu et de soi-même*, c. III, § 20).

ARTICULUS III

Refelluntur falsæ opiniones circa personam hominis et naturam unionis animæ cum corpore.**204. Assertio 1^a : Falsa est sententia Platonis.**

1^o *Adversatur naturæ corporis*, quod extrinsecè tantum ab animâ pendere fingit, uti mobile a motore; at corpus ab animâ pendet etiam intrinsecè, ab eâ scilicet suam habet speciem et humanum vocatur; unde tum initium vitæ accipit cum ei unitur, tum finem cum ab eâ separatur.

2^o *Adversatur naturæ animæ*; sive quòd asserit in eâ solâ consistere personam humanam, sive quòd vult eam per accidens tantum et criminis luendi causâ cum corpore conjungi; quæ omnia falsa esse jam ostendimus (n. 202).

205. Assertio 2^a : Falsa est sententia Cartesii.

1^o *Adversatur naturæ corporis*, quod supponit per se vitam cæterasque proprietates et actiones habere, proindeque propriâ subsistentiâ frui, nec tamen ad sensationes efficienter ac formaliter concurrere. Porrò hæc omnia jam improbata fuerunt.

2^o *Adversatur naturæ animæ*; tum quia illius essentiam reponit in cogitatione, tum quia vult eam esse per se completam, adæquatam hominis personam, et propterea non nisi per accidens corpori copulatam. Sed primum infra repudiabitur, secundum autem jam satis refutatum est.

206. Assertio 3^a : Falsa est sententia Kantii et Rosminii.

1^o Falsò Kantius reponit τὸ ego in solâ conscientiâ. Nam ea impar est quæ explicet non tantum omnia humanæ personæ phænomena, uti operationes vegetativas, sensitivas, motus locales, sed etiam nec omnia ipsius animæ phænomena, qualia sunt quæ ad volitiones pertinent.

2^o Rosminius confundit id quo constituitur τὸ ego humanum, cum eo vi cujus τὸ ego sui conscientiam acquirit. Et sanè τὸ ego tum propriè sui conscientiam acquirit, quum in suas operationes et seipsum reflectitur. Sed non eâ reflexâ

sui cognitione constituitur, imo verò cognitio ista præsupponit ipsum existere, cum prius sit existere, quam in seipsum reflecti.

3^o Opinio Kantii et Rosminii absurda trahit consecutaria; hac enim admissâ, puer non posset jure vocari persona, quippe quòd actuali ac reflexâ sui conscientiâ destituitur. — Item homines personalitatem suam toties amitterent, quoties a reflexione actuali super operationes suas cessarent.

CAPUT II

DE MODO QUO EXPLICARI POSSIT UNIO INTER ANIMAM ET CORPUS

1^o Referemus diversas opiniones excogitatas ad explicandum modum unionis animam inter et corpus; 2^o veram declarabimus; 3^o falsas confutabimus.

ARTICULUS I

Recensentur diversæ opiniones a philosophis excogitatæ ad explicandum modum unionis inter animam et corpus.

207. Præsentis quæstionis solutio a præcedentis solutione tota pendet; nam modus explicandi unionem animæ et corporis pendere debet a naturâ ejusdem unionis. Itaque systemata philosophorum circa modum explicandæ unionis inter animam et corpus, ad duplicem classem possunt revocari, prout accidentalem, vel substantialem eam esse præsupponunt.

I^{um} Genus systematum.

Systemata quæ non nisi accidentalem animæ et corporis